



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 43.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

studia iuant atque promouent, imo opes & facultates Ecclesiæ destinatas, quasi alerentur studiosi diuinæ sapientiæ, turpiter ipsi prodigunt alea, pompa, luxu aulico, bellis, equis, bombardis & apparatu bellico parando, quasi non magis victoria speranda sit ex diuina sapientia quam ex potentia humana. Quid de Monachis dicam & sacerdotibus, qui & ipsi turpiter abutantur bonis ecclesiasticis ad oppressionem veræ, diuinæ & celestis sapientiæ: Hi omnium grauissime peccant contra Dominum. Nisi ergo tam aduersarii quam amici veritatis ac diuinæ sapientiæ ardentiori zelo & secentur sapientiam & sapientiæ studia promouant, grauissimas impietatis & ingratiuæ diuinis poenas dabunt vltro Deo, qui ab initio mundi contemptum verbi sui celestis sapientiæ semper grauissimè puniit.] Cetera non improbo; Monachos bonos, & sacerdotes Catholicos vti bonis Ecclesiæ ad veritatem propagandam non dubito. Errat tamen roto cælo Bullingerus, non enim vel nosti, vel eius sententiâ illi quos reprehendit tam seuerè, delinquent. Nosti quidem sententiâ minus delinquent, res suas curando, quam hæreses & blasphemias prædicantium audiendo. Ipse veto nos ita agere docuit. Nam adirempla, audire concionatores etiam Euangelicissimos, ex Bullingeri opinione est peccatum mortale natura sua, vti est omne opus bonum. Hoc peccatum mortale quod millies millies gehennam meretur, vt censet Beza, si reprobi sint, illis imputatur.

Sequitur, minas, & atrocia verba

Supplicium, fixo non euitabile fato.

Imox Bullingero & eius Parastatis didicere, prædicationem ad maiorem ipsorum exactionem, poenamque Deo institutam, nec posse se vnquam conuertere. Si vero electos esse se fiduciantur. Nihil earum minarum ad se pertinere didicerunt. Quando quidem sue deuorent facrimina, vt ait Bullingerus, siue Ministri um futuras & blasphemias, nihil illis imputatur. Non enim sunt sub lege. Nec illis Deus irascitur. Malunt autem plerique vti videri exactionem voluptatis, quam fastidiosam ministri loquentiam. Cum suum sit aurium supplicium: male compositas audiunt nugas.

VERSUS 42.

Regina Austri surget in iudicio generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & acceptus quam Salomon hic.

QVÆSTIO I.

Quæ Regina Austri?

Reg. 10. & 2. Paralip. 9. 19. Saba alia est Arabica; alia trans Egyptum Lybica, seu Ethiopia, quia dicitur venisse à finibus terræ, non videtur fuisse illa Arabica, quæ vicina est Iudææ.

8. 2. Quomodo iudicatura sit ostendit S. Basilii homilia in Psalm. 7. Est & alia significatio ex hac voce (iudicare) vt ait Dominus: Regina Austri exurret & condemnabit generationem hanc. Eos enim qui doctrinam diuinam auerantur quique à se amoluntur studia honesti ac virtutis & sapientiæ dogmata plena bonæ eruditionis fastidienter à se prorsus abiecerunt, eorum comparatione simul & collatione, qui in generatione suorum gentium rerum bonarum studio excellunt, grauiorem astruit delictos esse penam, eorum gratia quæ neglectum transierunt. Credo equid in non minus similem veluturos esse sententiam ab æquissimo illi iudici.

Adami Conzen in Euang. Tom. I.

ce, quotquot hoc terrestre corpus receperint: quod externi isti casus qui cuique nostrum contingunt, non paruo discrimine à se disideant: quo sit vt dissimilem quisque sententiam sit re-laturus. Qui enim concurrunt casus non à nobis quidem profecti, sed vel inuitos circumstant, aut peccata nostra degra-nant, aut leuiora efficiunt.

Vincencius putat Arabicam esse, ex Sabæa Asiatica, ad libros Regum quæstio pertinet.

VERSUS 43.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulans per loca arida querens requiem, & non inuenit.

QVÆSTIO I.

Quo pertinet comparatio hominis à demone liberati, & iterum obsessi?

§. 1. AD inane Iudæorum iactantiam retundendam. Minatur erat Iudæis non modo exitiū, sed etiam Iudices externos. Nimirum & Regnam Sabæam, quos præ se illi contemnebant, fœdere Dei, & electione suæ nationis inflati. Quia enim Dei beneficiis assueti erant, illa sibi perpetua pollicebantur. Christus vero ex his ipsis demonstrat grauius eos iudicium subituro. Quemadmodum energumēus, si postquam Dei beneficio à demone tortore liberatus est, sibi que redditus, si id agat, vt iterum sub eius potestatem redat. ob ingrati tudinem & culpam grauius puni-tur. Ita quoque huic generationi erit. Deus eam ab idolis liberauit, deinde à Pharaone, à variis periculis, & tyrānnis, tandem filium misit, at illi oblitū beneficiæ diuinæ, nouis semper sceleribus nouas poenas accersunt. Itaque posteriora deteriora erunt; quia nec cladibus prioribus nec beneficiis cauerent, ne essent peiores auis. Cladem itaque quam ab Romanis passuri erant, hodieque patiuntur, & æternum exitiū prædicat. Peiores vero Iudæi erant illis, qui legem non acceperant. Dominus sane maledicentissimæ calumniæ veram prædicationem opponit: dixerunt illi, In Beelzebub eiecit Christum demonia. Respondet ille: demonem eiecitum ab ea generatione, aliis septem comitatum rediturum, imo iam redisse.

Iudæi frustra de genere superbunt.

QVÆSTIO II.

Quæ loca arida?

§. 1. LIi fidelium, alii infidelium pectora arbitrantur. Græcus vocat τὸν ἐρημὸν, quod noster vertere solet in aquosa: Dæmon expulsi horret loca solitudinis arida, seu solitudines; quia obesse nulli potest, vbi nemo est. Videtur autem similitudo sumpta ab eis, qui nixu colit: domo pulsi. Vndique loca habitationi idonea conquirunt: cum vero omnibus cultis, vt quæ possessores suos habent, pellantur, solitudines obeunt, si forte aliquam plagam fertilem inueniant.

§. 2. Cui locis aridis & solis inhæreat dæmon, quæti solet. Id ita esse, docent Sagatum confessiones, multaque acta iudicum. Ego exitimo dæmonem frequentiam, & negotiorum inter homines celebritatem maxime contestari: nam sine suo periculo, maximo eorum damno inter eos versari potest. Solitudinem tamen plurimis dæmonum intestati experientia docet: sed magna Dei misericordia fieri non est dubium, vt impiorum spirituum potissima pars ab hominum consortio arceatur, & rabiem suam inuidiamque in deserto consumat. Sic videmus fulmina isti

Y 2 mon-

montes, & iniuas sylvas crebro, raro autem in vrbes incidere.

§. 3. Beza impie ad Monachos in Eremo agentes refert, quæ refutat præceptor meus Nicolaus Serarius in cap. 8. Tob. q. 9. Et eiusmodi loca indicauit etiam Dominus, cum Matth. 12. vers. 43. eiecitum demonem dixit ambulare diabolus in arida & iniqua loca. Obferuant & hoc etiam nunc, hoc tempore, sacri Exorciste, vt vel in imum inferorum barathrum, vel in tesquas & horridas quasdam solitudines demonia, quibus egressum imperant; ablegent, vbi ab hominum cœtu absint quam longissime, minoremque illis perniciem afferant. Quemadmodum leones, pardos, tygrides, aliasque id genus ferae procul à nobis, in saltus, speluncaque amandauit Deus; sic & demonum multitudinem maximam, salutis nostra causa, in arenas & damnata quadam sola eiecit. Quo factum, vt de S. Antonio, Macario, aliisque veteribus eremorum sanctissimis incolis (quemadmodum à S. Athanasio loco citato, Palladio c. 20. Cassiano colat. 7. cap. 23. traditum) grauius quererentur demones, quod homines isti loca inuaderent, in eaque Christi Iesu crucem & cultum inferrent. Quo detestabilius Beza in Matthæi cap. 12. vers. 43. calumnia est scribens: Quantum, in incultis & squalidis locis, valeant Satanicæ prestigia, docent mala per eremitas & monachos iam pridem in Ecclesiam inuicta. Sed qui Christi Domini virtute, gratia, & cruce armati, æterni demonibus bellum indicare, in domum fortis intrare, ipsiusque vasa diripere ausi sint, quæ inuicere mala potuerunt? Excitantur historiae veteres, & per Eremitas, Monachosque in barbaros immanesque populos quam plurimos, adeoque hanc in Germaniam nostram, Christianam fidem importatam, Euangelium propagatum, baptismum, ceteraque pietatis nostra mysteria illata comperimus. hecine mala sunt? Heretico scilicet mala, quia omnia has penitus sublata, vel certe non nisi deprauata & enervata vult, mala inquam Satane admistio, crucis Christi aduersario, gehenna leuoni, & ni respiciat, æternarum flammarum pabulo.

Calumnia
Beza.

VERSUS 43. 44. 45.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida querens requiem, & non inuenit. Tunc dicit, Reuertar in domum meam unde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nomisima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessima.

QUESTIO I.

Quomodo redeat?

Quires da-
moni est
nocendi fa-
cultas.

§. 1. DE spiritu loquitur, vt de homine, qui domo pulsus inquit, quibus terris considere valeat, quam cum inuenit, dicitur quiescere: non quod spiritui vlla possit contingere, vel sperari requies, cum immania perpetua tormenta secum deferat; sed quod eius requies sit, posse aliorum quietem tollere. Ac quiescit odium cum nocere potest, inuidia cum alios miseris facit. Hanc malitiam quietem inuenire non potest, in solis desertisque locis, ideo ad antiquos sedes reuertitur. De eius in homines odio curaque nocen-

di, Vide Delirium nostrum in prologo disquisitionis

§. 2. Domus sine dubio est homo, quam antequam uenit, gressu suum occupantem, non ab alio occupatam, emundatam, & ornatam, non indicatur hominem alium virtutum cultura instructum fuisse, sed ad excipiendum hospitem expeditum, & paratum, quem admodum si hostis urbem epulantem offendant, capiatque.

§. 3. Manet in eadem similitudine Christus. Nam hostis postquam speculatus est locum idoneum, & obtentu facilem, de eo retinendo cogitat, federa contrahit, & auxilia cogit, atque belli commoda paratur cum aliis, vt se eorum praesidio muniant. Plures enim difficilis pelluntur, quam pauci, aut vnus. Sic inquit erit huic generationi pessima, plures enim eam demones opprimunt.

VERSUS 46.

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, querentes loqui ei.

QUESTIO I.

Qui fratres Christi?

§. 1. HELUIDIUS filios B. Virginis esse finxit, quæ de cap. 1. disputauit. Quomodo matrem habuerit, ostendit Augustinus epist. 38. Itane matrem? Cuius non habebat imperator tuus? Quæ tamen cum ei nuntiaretur agenti caelestia, respondit: Quæ mater mihi, aut qui fratres? Et extendens manum in discipulos suos, dixit, non pertinere ad cognationem suam, nisi qui facerent voluntatem patris eius. In quo numero profecto etiam ipsam sanctam Mariam benignus inclusit: faciebat enim & illa voluntatem patris eius. Ita magister atque dominus, & mater nomen, quod ei quasi priuatum propriumque nunciauerant, quiatorem erat, in comparatione caelestis propinquitatis abiit: & eandem caelestem propinquitatem, in discipulis suis commemorans, quo sibi rurum consortio generis, cum cæteris sanctis virgo illa cohereret, ostendit. Et ne soluberrimum magisterio, quo contemni carnalem affectum in parentibus locuit, adminiculum error acciperet, quo matrem habuisse quibusdam negatur, alio loco discipulos monuit, ne se patrem in terris dicant habere, vt quomodo illos manifestum est habuisse patres, sic se habuisse matrem manifestaret, cuius tamen terrena cognatione contempta, contemnendaque instans necessitudinum discipulis præberet exemplum. Quidam fratres Iosephi esse putant, quos contra alias eg-

§. 2. Non sunt ingressi prætulba, vt ait Lucas. Causam exponit Marcus cap. 3. 21. dicebant enim in furorem versus est, & volebant in eum mittere manum. Quod nec de ipsa matre, nec omnibus cognatis, sed aliquibus dicendum est. Alii vero cognatos id egisse, vt eum de manibus Phariseorum liberarent.

§. 3. Humanam eius naturam quidam ex eo negant, quos contra Tertullian. lib. 4. aduersus Marcionem. Superest & inspicere sensum non simpliciter pronuntians, quæ mihi mater aut fratres? Quasi ad generis & consanguinitatis negationem: sed & ex causa necessitate, & contradictione rationali. Tam proximas enim personas sibi stare prætertrans intus desinit ad sermones eius, amplius & auctius re eum à solenni opere querentes, meritis indignatus est, non tam abnegauit quam abdicauit. Atque adeo cum promississet: Quæ mihi mater, & qui mihi fratres? subiens, nisi qui audiunt verba mea & faciunt ea, transiit ad sanguinis nomina in alios, quos magis proximos pro fide indicant.